

CUERPO:	0590 PROFESORES DE ENSEÑANZA SECUNDARIA
ESPECIALIDAD:	003 LATÍN
PRUEBA:	PRÁCTICO
TURNO:	1 - 2

1. TEXTO EN PROSA PARA SU TRADUCCIÓN CON DICCIONARIO Y COMENTARIO

TITI LIVI, AB VRBE CONDITA *Liber VII, 2.*

2. et hoc insequenti anno C. Sulpicio Petico C. Licinio consulibus pestilentia fuit. [2] eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis deum exoscendae causa tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit. [3] et cum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis ludi quoque scaenici, nova res bellicoso populo –nam circi modo spectaculum fuerat–, inter alia caelestis irae placamina instituti dicuntur. [4] ceterum parva haec quoque, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit. sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ludiones, ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Tusco dabant. [5] imitari deinde eos iuventus simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus coepere, nec absoni a voce motus erant. [6] accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. vernaculis artificibus, quia ister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum; [7] qui non, sicut ante, Fescennino versu similem inconpositum temere ac rudem alternis iaciebant, sed impletas modis saturas descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant. [8] Livius post aliquot annis, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor, [9] dicitur, cum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus inpediebat. [10] inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relictas. [11] postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocabatur et ludus in artem paulatim verterat, iuventus histrionibus fabellarum actu relicto ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit; quae exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt.

Orden EDU/2/2026, de 5 de enero (BOCyL núm. 8 de 14 de enero)

- 1. Traduzca el fragmento anterior.**
- 2. Realice el comentario sintáctico de la parte subrayada.**
- 3. Realice el comentario de *realia* de las palabras o grupos de palabras en negrita y subrayados con doble línea.**